



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 61. Protestantium rebellio in hoc Regno inchoata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

ducere haud posset, hinc matrimonium ^{Sæcul. XVI.}
inter juvenem Reginam, & Delphinum ^{A.C. 1558.}
conciliabatur, quo inito rerum facies
in Scotia plurimum mutata fuerat.

§. LXI.

*Protestantium rebellio in hoc Regno
inchoata.*

Cum regni illius Clerici haud igno- ^{Thu. &}
rarent, quod Franciæ Rex ^{Buchan. l. 6.}
novæ sectæ fautoribus parum faveret,
hinc sese a Gallis suffultum iri spera-
bant, si Scotos ad veræ Ecclesiæ sinum
revocare aggrederentur: quinimo ipsa-
met Regina, cum Protestantium ope
haud ultra indigeret, remissiori studio
illis adstipulari cœperat, ac longe alium
erga eos animum induisse videbatur;
quippe in omnibus suis actionibus sin-
gularem mansuetudinem, morumque
comitatem, qua ceterorum animos sibi
conciliatos studiis suis arctius obstrin-
xerat, præseferabat; mox tamen hæc
ipsa lenitas in imperiosam degenerabat
arrogantiam, qua omnibus exosa red-
debatur. Ex altera quoque parte San-
tandreanus Archipræsul de sua extre-
ma, qua Protestantes plectebat, seve-
ritate nihil remittere volens, quemdam
senio gravem, sed inveteratæ hæresis
Presbyterum jussit comburi, nec minus
ceteri

Sæcul. XVI. ceteri quoque Episcopi juncta hujus
A. C. 1558. Archiepiscopi opera quemdam hæreticum Pastorem nomine Paulum Messanum in judicium vocabant, eodem supplicio afficiendum: cum vero hæreticorum turba seditionem concitare inciperet, sententiam ad tempus magis opportunum differebant. Verum hæc ipsa immodica severitas populum exacerbabat, palamque contra Ecclesiasticos querebatur, unde die prima Septembris Edini seditio erupit, eo tempore, quo illa die solemnis habebatur supplicatio: itaque hæretici, eorumque fautores in eos, qui Sancti Ægidii venationem representabant, furibundi irruunt, hujus Sancti effigiem eripiunt, atque in cloacam projiciunt.

§. LXII.

*Seditiosa Scotorum Societas pro
 tuenda spuria reformatione.*

Ex hac ipsa hæreticorum petulantia facile cognoscebatur, quod sensim Cleri autoritas imminueretur, quocirca ad eam rursus firmandam die octava Novembris Edini Cleri comitia celebrabantur, eo fine, ut animi fortitudinem, viriumque fiduciam exhibentes Ecclesiastici dispicerent, utrum calamitatibus undique ingruentibus remedium opponere possent: Attamen re
 in